



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.  
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac  
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

§. X. De primis precibus Imperatoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

vers. 41. num. 3. & seq. dicens, jus presentandi Clericos ad beneficia extra Ecclesias Cathedrales in mensibus Papalibus, a S. Pontifice ex speciali gratia Electoribus concessum, Serenissimam Domum Bavaricam prescriptionis Titulo acquisivisse, prout id ipsum Episcopi, & Ordinarii in Transactione cum Electoribus Bavaricæ 1583. inita sponte agnoverunt; nec à Sede Apostolica per tot, & quidem ultra ducentos annos nulla oppositio facta fuit. Testantur etiam multi DD. de illa consuetudine, qua in quibusdam Germaniæ, & remotioribus locis menses Papales in beneficiis, Parochialibus præcipuè, non attendantur, eamque vel ideo rationabilem esse dicunt, quod per illam animarum periculo, ex diuturna ejusmodi beneficiorum vacatione resultanti occurratur, & melius per Nationales, quàm alienigenas, & ignotos pastores ovibus prospectum sit.

Ad opposita breviter respondetur, & quidem ad clausulam irritantem, quæ in dictis Concordatis apposita legitur, reponitur, per illam præscriptionem *immemoriam*, non excludi: nam etiam *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* habet decretum irritans alienationem bonorum Ecclesiasticorum, & nihilominus ea præscribi possunt. Non etiam requisita præscriptionis dicta clausula convellit, quia in præscriptione *immemoriam* imprimis non requiritur Titulus, deinde successores prudenter præsumere possunt bonam fidem antecessorum. Ad Bullam Clementis VII. respondetur, quod loquatur de præscriptione modici temporis, ut indicant verba de *annali, & triennali possessore*. *Immemorialis* autem, nisi expressè ejus mentio fiat, nunquam censetur esse reprobata. Prolixius hanc quæstionem examinantem Consule Clariss. P. Böckhn *loc. cit.*

## §. X.

*De primis precibus Imperatoris.*

## SUMMARI A.

94. *Primariæ preces describuntur.* 95. *Heterodoxi plerique negant esse indultum, & privilegium Pontificium.* 96. *Bæhmeri protervus calamus contra Clementem XI.* 97. *Respondetur heterodoxorum argumentis.* 98. 99. 100. 101. *Primariæ preces ulterius exponuntur.* 102. *Beneficia ab his precibus excepta recensentur.* 103. *Circa beneficia regularia non solent Imperatores uti primis precibus.* 104. *In una Ecclesia Imperator tantum semel has preces interponit.* 105. *Intra quod tempus præcisa preces acceptare teneatur.* 106. *Potest Imperator uno nominato re adhuc integrâ variare.* 107. *An primæ preces morte Cæsaris expirent? Affirmantium fundamenta referuntur.* 108. *Negantium Sententia nobis probabilior videtur.* 109. *Primæ preces non sunt reprobata à SS. Canonibus.* 110. *Sunt tamen strictè interpretanda.* 111. *Protestantes in Imperio etiam usum harum precum sibi vindicant.*

Non

**N**on modo per Regulas *Cancellarie, Concordata Germania, &* alias reservationes Apostolicas Ordinariorum collatorum jus & facultas circa beneficia restringitur, ut hæcenus dictum est, sed etiam per *Primarias preces Imperatorum*, de quibus in præsentia.

94 *Primarias* has preces cum Clariss. D.D. Georgio Kieffer *Dissertat. Juridico-Politica de S. C. M. summis reservatis part. 2. Q. 5.* describo, quod sit indultum Pontificium, quo datur facultas electo Romanorum Imperatori ob justas causas in Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, vel Regularibus Ecclesiis Catholicæ, & Protestantium respectivè Religionis in Romano Imperio idoneam, & qualificatam personam super Beneficio Ecclesiastico in genere vacaturo, vel etiamnum vacante nominandi, Capitularibus præsentandi, ac pro ea intercedendi, ut in Canonicum, vel Beneficiatum assumatur. Labet jam singulas datæ descriptionis particulas declarare.

Dicitur I. *Indultum Pontificium.* Non enim ex semetipso Imperator facultatem nominandi ad Beneficia habet, nec habere potest, utpote jus spirituale, quod citra specialem S. Pontificis concessionem laici possidere nequeunt. *cap. 2. de jud.* Non etiam Titulo solius consuetudinis antiquæ *arg. Diplomatis RUDOLPHI I.* quod refert Goldast. *tom. 3. Constit. Imperial. pag. 106.* nisi in quantum illa Pontificali autoritate roborata & approbata fuit, ut patet ex tenore dicti Diplomatis. Igitur ex liberali Papæ concessionem *Primarias preces Imperatores* obtinuerunt, ut constat ex Bulla PAULI V. ad FER-

DINANDUM II. Imperatorem data (quam speciali Tractatu illustravit Joan. Cockier) & declaratione nullitatis Articulorum Pacis Germanicæ ab INNOCENTIO X. facta, & Romæ 1651. impressa per sequentia formalia: *Præcùmque Primariarum eidem Ferdinando in Imperatorem electo à præfata Sede Apostolica concessarum &c.*

Hæc quidem est Sententia melioris notæ, & conscientiæ DD. Catholicorum. A Catholicis plerique, quibus vel nomen S. Pontificis invisum est, *Primarias preces*, indultum Apostolicum vocitari non patiuntur, sed hoc jus Imperatoriæ Majestati independentem ab annutu S. Pontificis, tanquam aliquod *regale* adhærere contendunt, id quod etiam ex eo verisimile reddere volunt, quod ipsi Imperatores in formula *primariarum precum* alicujus Privilegii Apostolici nullam mentionem faciant, sed se duntaxat antiqua, & probata consuetudine tueantur, prout patet ex formula RUDOLPHI I. quam Nauclerus in sua *Chronographia* recitat, & est sequentis tenoris:

RUDOLPHUS DEI Gratia Rex, & semper Augustus, honorabili in Christo, devoto Abbati &c. Gratiam suam, & omne bonum. Cùm ex antiqua, & approbata, ac à Divis Imperatoribus, & Regibus inclytæ recordationis nostris Antecessoribus usque ad nos producta consuetudine, quælibet Ecclesia in nostro Romano Imperio constituta super unius collatione beneficii *precum* nostrarum *primarias* teneatur admittere, devotionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico de Ecclesiastico Beneficio, quod ad tuam collationem spectat, ob reverentiam sacri Imperii, & nostram, si quod vacat in præ-

X 3

sensus.

*sens, vel quàm primùm vacaverit, studeas liberaliter providere taliter faciens, quod devotionem tuam nostra serenitas debeat meritò commendare, & ad tua iusta desideria facili inveniri. Dat. Regni nostri Anno I. videlicet 1273.*

96 Quapropter Bœhmerus in CLEMEN-TEM XI. P. M. quod is primas preces à JOSEHO I. Gloriosæ memoriæ Imperatore, ante impetratum indultum Apostolicum, ad Ecclesiam *Hildefensem* datas, irritasset, tam impotenter exarsit, ut, abjecto omni pudore, eum multis calumniis proscindere, & argumenta, quæ dictus Pontifex in Epistola ad *Hildefenses* data pro non admittendis precibus proposuerat, per sarcas- mum exhibere non exhorruerit, pro- ut legenti Bœhmerum *ad h. t. §. 112.* patebit.

Nos ejusmodi Scœmata Bœhmeria- na, quæ nec ruri quisquam sui simili impingeret, vel referre erubescimus; il- lius doctrinæ Bœhmerum duntaxat me- morem esse volumus, quam ex Plutar- cho *Libell. de capiend. ex hostib. utilit.* hausimus, & sic habet: *Enimverò non ingeniosus sit, aut vocalis, aut protervus, oportet, qui insigere alteri maledictum vult, sed inculpatus: videtur enim DEUS nulli ita seriò mandasse, ut seipsum no- scat, atque convitium alteri facturo, ne, ubi dixit, quæ voluit, quæ non vult, au- diat. Solet enim his evenire illud Sopho- cleum:*

- - - LINGUA ABUSUS  
FUTILI  
INVITUS AUDIT, QUI  
VOLENS DIXIT  
MALE.

Ceteroquia illud dissidium, quod in- ter Augustissimum *Josephum I.* & Cle- mentem XI. tunc enatum est, post ele- ctionem moderni Augustissimi Impera- toris CAROLI VI. feliciter composi- tum fuit, prout liquet ex litteris à dicto Pontifice ad Capitula Ecclesiarum Ca- thedralium, & Collegiarum directis, quarum tenorem exhibet Magnif. P. Schmier *lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 3. num. 290.*

97 Quod verò Imperatores in formu- la suarum precum duntaxat in antiqua consuetudine se fundent, nec specialem mentionem indulti Pontificii faciant, non sequitur, dictas preces non esse privilegium à SS. Pontificibus jam ab antiquo concedi solitum. Idcirco, ut probè advertit *Leurenus in for. benefic. sect. 3. cap. 1. quest. 603.* PAULUS V. dum FERDINANDO II. indultum *primariarum precum* concederet, de in- dustria privilegii hujus ab antiquo con- cedi soliti nullam mentionem fecit, ne videatur gratia hæc jure deberi, aut consuetudo ex parte Imperatoris in- ducta esse jure speciali, quale est jus nominandi, cujus laici, quamvis Prin- cipes, per se sine auctoritate Apostoli- ca incapaces sunt.

Dicitur II. *Quo datur facultas ele- cto Romanorum Imperatori.* Quamvis enim de Jure communi, ut notat *Azor. part. 2. Inst. Moral. lib. 10. cap. 6. Q. 2.* ut hoc indulto Imperator uti valeat, non sufficiat, eum *electum* esse, sed insuper *confirmatio* desideretur Apostolica arg. *cap. 34. de Elect. & Clem. un. de Jurejur.* consuetudine tamen obtentum est, ut dictis precibus Imperatores, *solum ele- cti*, sub spe ratihabitionis Pontificiæ, etiam ante novam Bullam desuper im- pe-

petratam utantur, ut notat P. Wagnereck ad *Princ. earund. Precum.*

98 Dicitur III. *Ob justas causas.* Quorum præcipua est, quod Imperatores sint Summi Ecclesiæ Romanæ *Advocati*, legitimi Pugiles, & Athletæ adversus fidei, & Christiani Nominis hostes. *arg. cit. cap. 34. de Elect. Clem. un. de Jurejur.* & ut sonant verba Bullæ PAULI V. de *Primariis precibus* ad FERDINANDUM II. data ibi: *Quia Ecclesiæ fidelem Advocatum te exhibuisti, tanquam ipsius Ecclesiæ legitimus Pugil, & Athleta.*

99 Dicitur IV. *In Metropolitanis, Cathedralibus &c. & Protestantium respectivè Religionis Ecclesiis*, modo ad beneficia in Ecclesiis *Augustanae, & Reformate Religionis* vacantia similiter *Augustanae, & Reformate Religionis* additi præsententur. *J. P. Art. 5. §. 5.* Nec obstat, quod per *Instrum. Pac. d. Art. 5. §. Jus Diœcesanum*, jurisdictio Pontificis (à quo *Precum Primariarum* indultum emanare diximus) maneat suspensa, id equidem intelligendum est non de omnibus causis Ecclesiasticis, sed iis duntaxat, quæ substantialiter fidem Augustanam, ejusque exercitium principaliter concernunt, ut testatur Sprenger in *Syntagm. J. P. cap. 3. pag. 127.*

100 Dicitur V. *In Romano Imperio*, hoc est, in omnibus Ecclesiis ad Romanum Imperium spectantibus, adeoque jus exercendi *primarias preces* non tantum in iis, quæ in Germania sunt sitæ, sed etiam ad Ecclesias in Italia, v. g. *Ducatu Mediolanensi* (qui utpote feudum Imperii intra fines Imperii existere dicitur) sitas se porrigit, licet collator extra Romanum Imperium habitet, quia in tali casu non curatur, ubi sit collator,

dummodo beneficium in Imperio sit situm. Wagnereck in *Exeges. Jur. Can. lib. 3. tit. 5. cap. 19. §. 2.*

Dicitur VI. *Personas idoneas super beneficio Ecclesiastico in genere vacaturo vel etiamnum vacante nominandi &c.* sive dein beneficia sint *curata*, aut sine cura, *Sæcularia*, vel *Regularia*, etsi majora, & electiva fuerint, ad quorumcunque demum collationem, præsentationem, electionem, seu quamvis dispositionem communiter, vel divisim pertineant.

Excipiuntur tamen I. *Dignitates Pontificales*, ut sunt *Archi-Episcopatus, Episcopatus, & Majores*, sive primæ post illas in Ecclesiis *Metropolitanis, & Cathedralibus*, nec non *Principales* in Ecclesiis *Collegiatis, & Prælaturæ* in *Monasteriis*. II. *Beneficia Patronata* laica, vel mixta (modo ex *fundatione, dotatione, aut constructione* acquisita sint) III. *Beneficia extra Imperium Romanum sita*, unà cum beneficiis iisdem annexis, tametsi hæc intra Imperium forent constituta, quia accessorium, maximè in hac materia jus commune limitante, adeoque odiosa, sequitur suum principale. *Cockier fol. 33. Roman. Conf. 361.* IV. *Beneficia Manualia*, & quæcunque jus perpetuum non tribuunt, & in Titulum erecta non sunt, ut *Hospitalia, Xenodochia, Leprosoria &c. Clem. 2. h. t.* V. *Beneficia commendata*, & quæ mensæ Episcopi incorporata sunt. VI. *Beneficia Monocularia*, hoc est, si alicui unius tantum beneficii collatio competit. *Cock. ad Regul. Cancell. 8. Gloss. 4. n. 4.* nam verisimile non est, quod Pontifex, vel Cæsar voluerit privare *Ordinarium Collatorem uno oculo, sive Beneficio.*  
Her-

Hermann. Hermes *in Fascic. Jur. Publ. cap. 11. num. 39.* VII. Beneficia vacantia per permutationem, vel resignationem, in favorem alterius. Cockier *fol. 35.* VIII. Officia in Ecclesiis, si laicalia sint, puta Officium Syndici, Judicis, Vicarii Chori, quia nomine beneficiorum Ecclesiasticorum non veniunt. Hermes *d. l. n. 33.* IX. Beneficia verè litigiosa Cockier *fol. 77.* X. Beneficia Cardinalium, vel Officialium Curiae Romanae, ubicunque decedant, aut accedentium, vel recedentium à Curia, & intra duas diatas morientium, quia hæc S. Pontifex per *Extravag. ad Regimen Eccl.* suæ collationi specialiter reservavit. XI. Beneficia, quæ per privationem, depositionem, translationem, promotionem, aut ascensionem alterius incompatibilis per Sedem Apostolicam factam vacant. Cockier *fol. 73.*

103 Circa regularia beneficia hoc notandum, quod, quamvis à dictis precibus exempta non sint, Imperator tamen ad ea non possit nominare *seculari*, *cap. 5. b. t. in 6.* nec etiam soleat *regulari*, sed propter bonum pacis, & disciplinæ regularis omnia beneficia regularia, majora, & minora Prælatorum, & superiorum regularium dispositioni relinquere hæcenus consueverit. Pirhing. *b. t. not. 4. num. 368.*

Dicitur VII. & ultimò, *ut in Canonico, vel Beneficiatum assumatur.* Quibus verbis indicatur, quod, ut *primæ preces* sortiantur effectum, haud sufficiat, ut persona idonea per Imperatorem nominata, & presentata fuerit, verum insuper institutio ordinarii accedat, prout colligitur ex verbis indulti: *Postquam illis ipsis Canonice provisum*

*fecerit.* Quæ etiam ab ipsis Ordinariis, nisi malint fieri ab executoribus simul nominatis, necessariò facienda est. Bernard. Mulz *de Majest. Imperat. part. 2. cap. 33. num. 246.*

104 Quæres I. Quoties Imperator his precibus in una eademque Ecclesia uti possit? Respondeo duntaxat semel, non bis, aut sæpius, ne Ecclesiæ hujusmodi precibus nimium graventur, & insuper in tali Ecclesia ad minimum quatuor beneficia ad liberam collationem Ordinarii spectantia extare debent, ut patet ex tenore indulti. Quodsi preces interpositæ non fuerint sortitæ effectum, fortè quòd Precista, antequam Canonicatus vacaret, Monasterium ingressus, aut mortuus fuerit, Imperatori adhuc integrum manet, diastas suas preces aliis deferendi, quia omnis dispositio cum effectu est accipienda. *cap. 1. de Restit. in integr. cap. 26. de Elect. in 6. l. 89. §. 1. ff. de V. S. Cock. de Prim. precib. Sect. 2. §. 7.*

105 Quæres II. Intra quod tempus Precista beneficium vacans acceptare tenetur? Respondeo intra mensẽ à tempore publicatæ vacationis in loco beneficii vacantis, supposito, quòd hæc publicatio ipsi innotuerit. Unde terminus iste probabiliter non currit *minor*, vel ex justa causa absenti, vel aliàs legitimè impedito. *l. 1. C. de Annal. except. l. 1. ff. ex quib. caus. maj.* Illud non refert, an per se ipsum, vel per procuratorem etiam Laicum, modò is speciali mandato instructus sit, acceptet, imò posse adhuc re integra, etiam post mensẽ, acceptare, probabilis videtur. Cockier *fol. 67. §. seq.* Si semel acceptavit, amplius resilire nequit. *l. 2. §. 3. seqq. ff. de Opt. legat.* Si

Sin verò acceptare non placet, voluntatem hanc coram ordinario declaret, oportet, & sibi ulterius vacaturum ex eadem optione reservet, id quod potest propter clausulam optionis reservatoriam, formulæ primariorum precum insertam. Cockier in *Proæmio PP. pag. 5. §. 6. D. Kieffer cit. part. 2. Quest. 12.*

106 Quæres III. An Imperator, nominato semel uno, variare possit, & alium rursus nominare? Respondeo, re integra id posse; censetur autem tunc res adhuc integra, quando nomen *Precistæ* in albo, sive rotulo Imperatoris, ad ejus memoriam duntaxat inscriptum, & annotatum est, hoc quippe casu, cum jus perfectè ei nondum quæsitum sit, sed tantum conditionale, Imperator variare potest. Sin verò *Precistæ* nominato beneficium jam collatum, adeoque jus plenè quæsitum sit, variationi locus haud erit, quia etiam à Principe, quando alicui benè meritò donat, vel quid concedit, talis concessio, vel donatio sine causa revocari nequit. *l. 27. l. 34. ff. de Don. Cock. Sect. 2. Q. 2. §. 17.*

107 Quæres IV. An gratia primarum precum morte Cæsaris expiret? Dixeris expirare, quia privilegium hoc est personale, quod personam sequitur, & cum ea extinguitur, *l. 68. ff. de R. J. & idèd, si Cæsar in vita sua nominationibus usus non sit, successor ejus in imperio duplici nominatione uti non potest. II. Hoc privilegium competit Cæsari ex indulgentia S. Pontificis contra juris communis dispositionem, quo collatio beneficiorum ad Ordinarios spectat; atqui privilegia contra juris communis dispositionem concessa non extenduntur à persona ad personam etiam*

ex identitate rationis. *Tusch. Tom. 6. conclus. 731. num. 7. III. Mandatum, quo legatus jubetur providere certæ personæ de beneficio certo tunc vacante, expirat ipso jure, si legatus ante mandati executionem moritur. cap. 3. de Offic. leg. in 6. cap. 36. §. secus h. t. in 6. Ergò multò magis expirabit gratia Imperatoris per ejus obitum, re integra, & nulla adhuc existente præbenda vacante.*

Verùm gratias primarum precum morte Imperatoris non expirare, suadetur sequentibus argumentis, I. *ex c. 9. de Offic. leg. in 6. §. cap. 36. h. t. in 6.* ubi dicitur, gratiam re adhuc integra non expirare per mortem concedentis; atqui nominatio, sive *primæ preces* Imperatoris sunt gratia, sive considerentur ex parte Imperatoris nominantis respectu *Precistæ*, sive ex parte ejusdem respectu Pontificis, hoc privilegium concedentis: ergò. II. Quod per nominationem Cæsaris, & acceptationem gratiæ, etiam generalem à *Precistæ* factam, res non amplius videatur esse integra, quia dictæ preces jam coeptæ sunt, licet necdum consummatum, & ultimum sortitæ sint effectum. *arg. l. 1. §. 3. ff. de Pollicit.* III. In dubio gratia Principis censetur esse realis, & perpetua. *Bursat. Consil. 30. num. 4.* Posterioriorem hanc sententiam, ceu probabiliorem cum *Cockier sol. 54. §. seq.* defendimus. Unde ad opposita brevissimè respondemus, illa procedere in casu, quo res mortis tempore adhuc integra est; hic autem per nominationem ab Imperatore factam, licet collatio eo vivente secuta nondum fuerit, jam aliquis effectus positus est, tendens ad effectum concessionis, consequen-

Y

ter

ter res non amplius dici potest integra. Neque paritas à *mandato*, ad *primas preces* Imperatoris benè concludit, nam non habent illæ se instar mandati, sed gratiæ, & privilegii, quod per dicta non desinit, morte concedentis.

109 Quæres V. An primæ preces repugnent SS. Canonibus in *Tit. de Conceff. præbend.* & Concil. Trid. *Seff. 24. de Reform. cap. 19.* expressis, quibus gratiæ expectatiuæ, & quæcunque aliæ concessiones ad beneficia vacatura reprobantur, utpote votum captandæ mortis inducentes? Resp. non aduersari, quia concessio *primariarum precum* generalis est, & incerta, cum nominatus ignoret, quis primò sit moriturus, & cui ille sit successurus. Præterea non repugnare Concilio Tridentino patet ex declaratione Cardinalium *ad d. Seff. & cap.* quam integram refert Cockier in *Procem. schol. fol. 2.* nam ibi expressè dicitur, quod, cum in dicta constitutione Tridentini nulla habeatur mentio de Imperatoribus, qui tamen essent speciali nota digni, sed simpliciter nominentur *Cardinales*, qui & ipsi speciali mentione digni sunt, signum est, quod Concilium non voluerit comprehendere Imperatorem, aliàs enim expressisset, aut saltem post *Cardinales* dixisset, & *quibuscunque aliis*, quo casu dictio *aliis* intelligeretur de illis, qui & ipsi speciali nota digni fuissent, præcipuè, cum exprimitur etiam de expectatiuis concessis Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis: ergò Concilium etiam Imperatorem expressisset, si illa prohibitione ipsum comprehendere voluisset; imò in eadem declaratione dicitur sua sanctitas addidisse, quod meminerit tempore

Conciliū, dum dictum *cap. 19.* formabatur, quosdam Patres voluisse addere *primarias preces*, Imperatori concessas; at potiorum Patrum sententiam fuisse, ut earum mentio non fieret, sicque sub *d. cap. 19.* non comprehenderentur.

Cæterum, quia preces istæ à jure <sup>110</sup> communi, ut vidimus, recedunt, strictè interpretandas esse, probabilius nobis videtur; licèt enim privilegia Principum, ut hic S. Pontificis, sint favorabilia, & latè interpretanda. *l. ult. ff. de Constit. Princip.* Id tamen duntaxat procedit respectu concedentis, ut contra illum extensio fieri possit, non verò quatenus continet præjudicium tertii. Cockier *d. Seff. 2. Q. 16. fol. 31.* præcipuè, cum & ipsa rescripta Papalia ad beneficia strictæ interpretationis sint, ut colligitur ex *cap. 10. ff. 16. & 27. h. t. in 6.* limita, nisi clausula *motus proprii* rescripto addita fuerit. per *cap. 21. 23. & 24. h. t. in 6. Clement. 4. eod.*

Quæres VI. An Principes protestantes in Romano Imperio jus *primariarum precum* exercere valeant? Procul dubio respondet Bœhmerus *§. 110. h. t.* hoc jus ipsis competere, & majori longè eminentia præ Imperatore. Sicut enim olim (sunt ejus verba) Principes quidam, ubi nequidem *jura sacra* iis asserta, sed aulæ Romanæ insidiis prærepta erant, hoc jus exercuerunt: ita multò magis Principes protestantes hodie id ipsum sibi vindicant, qui majori ipso Cæsare in *sacris* gaudent libertate. Cæsares in *consuetudine* fere sola præsidium quarere coacti sunt, postquam Papa intercessit, ne *jus sublimæ circa sacra* amplius sibi asserere potuerint. Hoc refugio non indigent protestantes: in liber-



bertatem revocati sunt, suspenso Pontificis jure: quidni (jam concludit) virtute *juris circa sacra* eminentis, quod *jure territoriali* cohæret, preces has exercere in Capitulis, Ecclesiisque sibi subjectis possent? praxi tam inveterata Cæsaris, & Pontificis accedente. Hæc Bœhmerus. Nos hac quæstione manus nostras non inquinabimus, falsissimas esse præmissas jam dudum ostenderunt alii, & nos in *lib. 1. Decret. ad tit. de*

*Constit.* & passim alibi deteximus. Unde, quid roboris habeat Bœhmeriana consequentia, nemini non patet. Quadrant huc illa verba Innocentii III. in *cap. 18. h. t. Multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari. Nunc autem judicium est mundi. Joann. 12.* Aliam sententiam audiet Bœhmerus, cum venerit ille, qui justitias judicabit.

## TITULUS VI.

### *De Clerico ægotante, vel debilitato.*

**N**E Clerici Beneficiati, aliisque Prælati Majores, qui ob fractas senio vires, aut ex morbi impedimento Ecclesiæ suæ, suisque ovibus amplius utiliter præesse nequeunt, Beneficiis suis cedere cogantur, quippe, cum Beneficium propter Officium detur. *cap. ult. de Rescript. in 6.* providè à SS. Canonibus constitutum est, ut ægotantibus, aut debilitatis Clericis Coadjutores adjungantur, qui defectum infirmorum, vel alias impeditorum in regimine Ecclesiæ & administratione Officii suppleant. De Coadjutorum subinde Officio, & potestate jam agendum erit.

#### §. I.

#### *Officium Coadjutoris describitur?*

#### SUMMARIÆ.

1. Coadjutor à *coadjuvando* sic dictus describitur. 2. Propriè Prælati, & Rector Ecclesiæ dici nequit. 3. Differt ab administratore. 4. Alius est temporalis, alius perpetuus. 5. Differentia triplex inter Coadjutoriam, & gratiam expectativam adstruitur.

**C**oadjutor à *coadjuvando* sic dictus, ff. de Tutor. describitur à P. Reiffenstuel sicut Tutor pupilli, à tuendo l. 1. ad h. t. §. 2. num. 12. & aliis ibidem cita-